



De Primis Et Ultimis Temporibus, Seu De Principio Et Fine Mundi

Ulloa, Joannes de

Augustæ Vindellicorum [u.a.], 1719

§. 3. De materia, ex qua Deus formavit cœlestes globos, de eorum
impotentia cadendi, habitatione ac perpetuitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81404](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81404)

ab initio Mundi, tamen si sol valde obliquus illis sit, continua enim sex Mensium præsentia solis plus inducit ardoris, quam obliquitas minuit) regiones autem subantarcticas habuisse plusquam integros sex Menses, non quidem tenebrarum, quia multis diebus crepuscula lucis undique habebant; sed absentia solis, excepta prima illa die, in qua medietas solis circuibat horizontes omnes illarum regionum: Etenim sol in Ariete movetur versus nostrum polum, & recedit ab Antartico, estque apud nos per sex menses, & octo circiter dies, ut explicui in Philosophia naturali Disp. 4. à num. 57. Atqui ut supra dicebam sol productus fuit in Ariete; ergo à prima sua productione cœpit accedere subpolaribus nostris regionibus, & recedere à subantarcticis: Atqui postquam sol incipit moveri citrà Arietem non cessat illuminare per sex menses, & dictos dies, regiones nostras subpolares, nempe donec redeat in æquator per libram quia cum æquator sit orizon undique regionum earum, & hæc sint non in sphaera obliqua sicut nos, sed in sphaera recta, inde fit, quod sol non cessat videri in eis regionibus, si fortè ibi sunt, qui videant, in omnibus circulis, quos facit citrà æquator singulis diebus; & propter eandem rationem toto eo tempore non videtur à regionibus subantarcticis.

LXXIX. Verosimile denique est, Lunam fuisse productam in altero hemisphaerio, & in sua plena illuminatione respectu terræ, hoc enim docetur in eo concilio Palestino, & consequenter fuisse Creatam in libra opposita Arieti, ubi, ut dixi, tunc erat sol, & consequenter in distantia æquali à meridiano Antipodum Paradyfi, & ab hujus orizonte orientali, & consequenter illam productam fuisse plusquam tribus horis, antequam ascenderet hunc orizontem Paradyfi, & consequenter illam incepisse suos obliquos, & spirales circulos versus Polum nostrum, ut sequentem lunationem, seu novilunium faceret citrà æquator, ubi per dictos sex menses futurus erat sol; & consequenter

primum fluxum nostri Maris fuisse horà sextà pomeridianà respectu Paradyfi, quia tunc circiter luna erat in orizonte orientali Paradyfi, quandoquidem tunc erat sol in occidentali (fluxus autem Maris super littora nascitur ex majore tumore aquarum que nequentes amplius ascendere, impetu diffunduntur super vicinam terram; major verò ille tumor provenit ex luna: Vide, quæ fusè scripsi hac super re in Phyl. natur. Disp. 3. à n. 122.) & demum primos potentissimos fluxus & refluxus contigisse citrà æquator, quia hi contingunt in noviluniis, & primum novilunium fuit citrà æquator. Primum antecedens, ex quo hæc omnia inferuntur, videtur congruum rationi. Congruum enim est lunam à primo puncto suæ creationis incepisse ministerium, ad quod per DEUM destinabatur; sed destinabatur, ut illuminaret terram, & præesset nocti, ut constat ex capite I. Genesis vers. 15. ergo à primo puncto suæ creationis cœpit illuminare terram, & præesse nocti. At in hemisphaerio, in quo fulget sol, non illuminat luna, neque præest nocti; ergo non fuit producta in eo, sed in opposito; ergo si fuit productus sol in nostro hemisphaerio, luna in altero fuit producta. Cæterum cum hæc omnia pendeant plurimum ex loco, ubi fuit plantatus Paradyfus, & de hoc non convenient Theologi, hac de causa non dixi illa, ut certa, sed ut verosimiliora duntaxat.

§. TERTIUS.

De Materia, ex qua facti sunt globi caelestes, eorum impotentia cadendi in terram, habitatione, atque perpetuitate.

LXXX. **Q**uæstionibus, quæ superponi possunt, respondeo: stellas fixas, nec non errantes, quarum neutras constat moveri retrograde, ut ostendi in Phyl. naturali Disp. 4. num. 117. ex solo Elemento aquæ fabricavit DEUS aut se solo, aut Mnisterio etiam Angelorum conglutinantium, ac coordinantium ex divino præcepto vastissima

ma illa corpora, ambo hæc probo ibidem à num. 28. & postea num. 74. ita sunt in editissimis eis locis, ut naturaliter ibi sint absque ulla violentia, imo quamvis tam ingentia corpora sint, indè cadere non possunt sine violentia, ut ibidem probo num. 124. & seqq. Potuit DEus omnes illos globos replere creaturis, vel irrationalibus, vel rationalibus distinctis ab Angelis, & hominibus, imo hominibus etiam ex Adamo descendentibus, mutarà tamen præsentem humorum complexione, ut ibidem dico num. 1. illuc translatis, sicut aliò translati fuerunt Henoc, & Elias, & prò quibus etiam offeretur sacrificium crucis: non enim detegitur in hoc ulla repugnantia contra humanam naturam, aut contra præsentem providentiam, quia illud *terram autem dedit filiis hominum*, impar est probando non dedisse illis habitationem extrà terram, cum multi filii hominum habitent jam in cælo Empyreo: Absit tamen, ut dicamus hæc ita contigisse defacto; quamvis probabile sit alterutros eos globos multoties habitari transeunter saltem ab Angelis ab animabus, corporibusque beatis, quin propterea suo cælo priventur, ut ibidem explico à num. 3. Neutri globi cælestes destruentur simpliciter absolute in ultima mundi periodo, juxta ea, quæ ibidem profero à num. 5. singuli moventur per Angelos purè assistentes, non quidem instrumento materiali, sed potente sua volitione, quod ibidem probatum invenies num. 8. dant Angeli, Planetis, saltem unicum simplicem continuum motum, sed tribus æquivalentem, qui in diversis temporibus diversi sunt, & hoc ibidem explicatum invenies à num. 16. Planetæ non ex se habent lucem, quod conducit, ut plerique non scintillent, sed à sole illuminantur, secus stellæ fixæ, & propter hoc forsan scintillant, ut explico ibidem num. 70. & seqq. sunt corpora aspera, montuosa, scabrosa, altissimis montibus referta ut ibidem probo num. 72. Omnes demum globi cælestes sunt capaces corruptionis partialis sive alterationis, ut constat ex eis, quæ dixi ibidem num. 5. &

sequentibus, & num. 106, & sequentibus.

§. QUARTUS.

De Animatione Stellarum utrarumque nempe errantium, & inerrantium.

LXXXI. **A**Ntiquissimam hanc questionem de animatione cælorum cum tetigisset Augustinus resolvere noluit, vel non est ausus, quia ut scribit in Enchiridio loquens de astris illis nunc existentibus, non est sibi exploratum & certum: *Utrum sidera sensum, & mentem habeant, & ad societatem beatorum Angelorum pertineant.* Pars affirmativa non potest adhuc censura Theologica notari à nobis, cum sit sententia ferè omnium antiquorum Philosophorum, & multorum Theologorum, tum antiquorum, tum modernorum, quorum verba invenies apud Vasquez, & Perer, & hæcenus non est proscripta ab Ecclesia; sextus namque ille Canon quintæ Synodi generalis: *Si quis dicit cælum, solem, & lunam, & stellas, & aquas quæ super cælos sunt, animatas quasdam esse, & materiales virtutes, anathema sit;* non videtur habere aliud robur quam authoritatem Nicephori referentis illum; Deindè cum possibilitas metaphysica sit adeo ampla, tamque stupenda inveniamus, licet assidue jam viluerint, apud nos in animalibus rationalibus, in irrationalibus in terrestribus, in aquaticis, in volatilibus, tum quoad organizationem, fabricamque corporis, tum quoad phantasiam, & imaginationem, tum quoad instinctum, & inclinationes naturales: cum id inquam ita sit, ægrè admodum ostendentur duo contradictoria, aut aliud simile, contra principia prudentiæ absurdum, in eo, quod possint esse creaturæ viventes, vita utique rationali, vel saltem sensitiva, vel saltem vegetativa, quæ suapte natura sint determinatæ ad illam vastitatem, ac figuram corporum, ad illum fulgorem, influxum, & qualitates alias, quas sensu, & ratione deprehendimus in hac luna, in hoc sole in his Planetis, & stellis fixis. Capacitas enim intelligendi, aut saltem cre-

scendi

Lib. 2. de Genes.

Idem in Ench. c. 58.

Vasquez in 1. Perer. lib. 2. in Genes. 9. 7.

Nicephor. lib. 77. cap.